



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**De Vita Et Rebus Gestis Christophori Bernardi Episcopi Et  
Principis Monasteriensis Decas**

**Alpen, Johann von**

**Coesfeldiae, 1694**

20. Re frumentariâ inopiæ subvenit.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68495](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68495)

1651.

46 CHRISTOPH. BERNARDUS.

di personas sine loci reverentiâ , vel ullo violandæ immunitatis metu manus injiciant, & seriam, notamque mandantis voluntatem exequantur. Certè fuit hoc pietatis pharmacum tam efficax, ut squallentis antea Cleri facies mox comparuerit serenior; tam verò salutare, ut propè soli festinato, felicique concubinatûs exilio adscripserint non pauci secutas annorum ubertates.

20.

Re frumentaria inopia subvenit.

Sed hic ipse annus ingravescente anno nâ ob rei frumentariæ inopiam in summâ caritate erat, adeò ut tritici octodecim, filiginis verò modium quindecim Imperialibus veniret. Jamque passim grassante fame audiebantur miserabiles egenorum quiritatus panem, panem deposcentium; quorum commiseratione *Christophorus Bernardus* jussit cellas passim frumentarias laxari, perque pagos & oppida gratis frumentum distribui. Sed & eo paulatim deficiente ad exterâs misit Regiones, qui supplementa undique conquirerent publicæ egestati sublevandæ. Quò commodius etiam posthac quævis mercium genera vel ab *Embdano* portu, vel ab *Urbe Zutphaniensi*, opportunitate navigiorum advehi daretur, ipsos alicubi *Amisæ*, & alibi *Berckelæ*, annium alveos dilatari cupiebat, jam tum magnis illis quos vasto animo fovebat, conceptibus præludens. Adeò

Principis

Principis in Patriam charitas multis jam tum salutaribus gestis se prodens emicabat, ut quos regebat imperio, pietate dulcius cogeret ad officium pariter & sui amorem. Atque ipsa hæc, incredibili clementiâ, benignis alloquiis, omni officiorum genere ita cumulabat, ut capti eâ morum suavitate populâres, effusi in ejus laudes, rediisse cum Principe pristinam Diœcesim felicitatem sibi gratularentur.

Ut autem non minus sollicitum animabus, quam corporum se probaret Curatorem, sacro Episcopatus ordine solenni ritu inaugurari voluit; exemplo patriæ tam novo, quàm grato. Nec enim ab hominum memoriâ Dicecesim rexerat consecratus Antistes, *Joanne Guilielmo Clivix, Ernesto & Ferdinando Bavarix Ducibus*, Episcopali caractere nunquam insignitis. At verò *Christophorus Bernardus* intra trimestre à confirmatâ electione spatium, pedo, mytraque onerari unus & enixè urgebat. Dies consecrationis decernitur Dominica tunc Divo Lamberto Eburonum Antistiti sacra; & *Franciscus Guilielmus Osnabrugensium Episcopus*, Romani Pontificis autoritate jam ante designatus Consecrator, unaque *Joannes Dusseldorpius Sebastensis*, & *Bernardus Frickius Cardicensis Episcopi*, is Monasteriensis, hic Paderbornensis Suffraganeus, ceu futuri

21.  
Conse-  
cratur  
Episco-  
pus.

17. Sept.

Assisten-